



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 41. Iniquæ conditiones a Guisio Duce Reginæ Matri propositæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.
A.C. 1588 sicut fieri alias consueverat, tessera illis daretur, hanc seditiosi rejecerunt, illam præstolantes a Guisio Duce, qui anxie reddendæ pacis articulos proponi desiderabat.

§. XLI.

Iniquæ conditiones a Guisio Duce Reginae Matri proposita.

Davila hist.
de Guer.
civil. l. 9.
pag. 602.

Enimvero res ad summam necessitatem devenerat, ideo Regina Mater comitantibus eam Pinarto secretioris Consilii Senatore, Belleverio, aliisque Proceribus ad Guisii diverforium contendere cogebatur, qua coram conspecta aliquamdiu mutuis querelis certatum, tandem vero de concordia pactis actum: attamen Dux adeo iniquas, atque immodicas petitiones proponebat, ut Regina de proximi successus spe conclamatum crederet: postulabat enim Guisius. I. Rex ipsum tanquam supremum totius Regni sui Vicarium proclamet cum pari auctoritate, qua ejus parens regnante Francisco II. fruebatur. II. Regni comitia Parisiis celebrentur, ubi præfata dignitas eidem Duci asseratur. III. Ut populis adversus pericula, quibus sub hæretici Principis regimine expositi sunt, satis cautum sit, Navarræ Rex, & Borbonicæ Domus Principes, qui Navarri partibus adhærent, a jure

jure succedendi, Regnumque possiden- **Sæcul. XVI.**
 di perpetuo excludantur. IV. In poste- **A. C. 1588.**
 rum tributa, & populi exactiones im-
 minuantur. V. Ut omnes exosæ, &
 suspectæ novitates tollerentur, omnes
 administrationum normæ ad certas re-
 gulas, quæ a Rege immutari non pos-
 sent, redigantur. VI. Espernonius
 Dux, Valetta ejus Frater, Franciscus
 Dous Retensis, & Bironius Marefcal-
 li, necnon Ornanus Tribunus, qui Cal-
 vinistis adhærent, suis dignitatibus, re-
 rumque administratione priventur, ac
 perpetuo ab aula exulare jubeantur.
 VII. Crillonius dignitate, qua satelli-
 tum legioni tanquam Tribunus præest,
 exuatur. VIII. Nemorsio Duci ditio-
 nis Lugdunensis, Normanix vero re-
 gimen Elbovio Duci concedatur. IX.
 Rex quinquaginta quinque Satellitum
 cohortem ipsius Prædecessoribus haud
 cognitam dimittat, secus enim semper
 ejus fides Duci erit suspecta, nec un-
 quam hic tuto ad eum accedere poterit.
 X. Parisinæ urbis administratio Briffaco
 Comiti committatur, Maduanus vero
 Comes Franciæ Architalassus, Cha-
 trius autem in Bironii locum Franciæ
 Marefcallus nominetur.

Regina Mater perceptis ejusmodi
 propositionibus ita Ducem alloquebatur:
 „quid tibi videtur, Gallos, cunctosque

N n 5 Euro-

Sæcul. XVI.
A.C. 1588

„Europæ Principes esse dicturos, si ali-
 „cujus subditi temeritatem eousque de-
 „venisse percipient, ut suo etiam Prin-
 „cipi ejusmodi postulata proponere au-
 „deat, quæ tamen unice eo tendunt,
 „ut Rex in servitutem redigatur, folio-
 „que deturbetur? „ verum ad hæc con-
 „festim reposuit Dux: „hæc officia, digni-
 „tates, & munia non pro aliis, quam
 „illis, qui ea promerentur, postulo:
 „dum autem Regni perturbatores, boni
 „publici hostes, hæresis fautores, atque
 „Religionis tyranni ejiciuntur, tunc Re-
 „gnum a pernicioso veneno expurgatur,
 „Regique tranquillitas redditur; tum
 „enim rursus eidem debitum præstabi-
 „tur obsequium, quamvis equidem,
 „ut verum fatear, hoc remedium ab
 „initio amarum videatur, in fine tamen
 „utilissimum erit. Tandem sermonibus
 „ultro, citroque non sine magna animi
 „contentione habitis Dux hæc subjunxit:
 „quia ergo Rex intima animi mei sensa
 „percepit, & tamen res ad tam miserum
 „statum redegit, hinc aut mortem sub-
 „ire, aut Religionem, & familiæ meæ
 „honorem sartum servare paratus sum. „
 „Ex his verbis Regina Ducem flecti posse
 „desperans secessit, satis prospiciens,
 „quod Dux magnæ, quam sibi apud Pa-
 „risinos conciliaverat, auctoritati nimia
 „fiducia inniteretur.

§. XLII.